

*Sectio I. Quid intelligatur per RATIONEM?*

mathematicarum promittunt tam liberaliter, mihi videntur ignorare verum, & difformia rebus sentire. Res morales plurimæ sunt obscuræ, mutabiles; & ipsi eas tractant ut mathematicas, immutabiles: & de singulis promittunt mathematicas demonstratio-nes: hæc difformia sunt: in his esse veritas nequit: & re ipsa sa-pissime decepti decepere etiam alios.

116. *Certitudo moralis* longe est nobis maxima, & major, quantum ad nos attinet, quam certitudo physica ac metaphysica: id quod Illustrissimus Huetius pulchre demonstravit in prudenti opere de *Demonstratione Evangelica*. Sed hoc ipso certitudo moralis non potest consistere in connexionibus illis physicis, ac metaphysicis plerumque incognitis: sed consistit in experientia ac sensu communii Auctoritate tradita; quæ omnia cognitu sunt perquam facilia, ac per hoc idonea media ad pariendam in nobis certitudinem.

117. Faciamus hujus Sectionis Anacephalæosin. Vidimus hic, *Rationem* varie accipi posse: 1.mo pro facultatibus cognoscendi, judicandi, intendendi finem &c. 2.do pro medio ad verum deprehendendum, seu conformitatem nostræ cogitationis cum objecto.

Quale medium non est ipsa ratio; non ideæ innatae; non Cartesiana substantia cogitans; non quidlibet per particulas *Quia* vel *Ergo* enuntiatum. Sed strenuissimum remedium est experientia, sensus communis & *Auctoritas*; minus proficuum instrumentum est *Connexio metaphysica rerum*: minus etiam *Connexio Physica*: quæ connexiones per experientiam & auctoritatem demum nobis innotescunt & pondus acquirunt.

118. Quoniam autem *Prejudicium* haud dubie est aliquis defectus circa rationem, & impedit, ne certas cognitiones nanciscamus, recte nos conati sumus hoc rationis negotium evolvere. Hoc enim evoluto facilius erit fortasse deprehendere, qua parte defectus lateat & morbus.

*Sectio II. Quid non sit Prejudicium?*

119. **PRAEJUDICIUM** ex ipsa vocabuli potestate est **JUDICIUM ANTE ALIQUID** formatum: sive judicium captum ac sententia lata *præ* hoc vel illo, nondum scio quo?

120. Judicium formatum ante *qualemcumque* rem non videtur esse *prejudicium* illud, quod reprehendunt. Sed ut *præjudicium*

*Sectio II. Quid non sit Prejudicium?*

cium sit reprehensione dignum, debet ferri *ante* aliquam rem, quæ **DEBERET precedere** judicium: ita ut malitia vel defectus, qui in *præjudicio* est, consistat in illicius *debiti* neglectu vel violazione: sive in *præpostero* ordine: quando nempe *præponitur* judicium alicui rei, cum *necesse* esset aliquam rem *præponere* judicio.

121. Ergo, ut dicere cœpi, *præjudicium* non est judicium ante *qualemcumque* rem: quia non *quacunque* res *debet* *præponi* judicio. Ex. gr. Si judico, Romano Pontifici à Christiano esse obediendum, *ante*, quam Pontificem de facie agnoscat, vel antequam Jerosolymam profectus sit, non facio reprehensibile *præjudicium*; quia *communis sensus* tota retro *auctoritate* traditus non agnoscit, *debere* istas agnitiones *præmitti* judicio de *obedientia* Pontifici *præstanda*. Neque apparet *connexio* *metaphysica* aut *physica* inter *obedientiam* Pontificis, & ejus vultum aut urbem Solymorum: moralis autem *connexio* inter Pontificis vultum, Solymam, & nostram Christianorum *obedientiam* tam est implexa, ut non debeat pro *regula* *judicii* facile statui.

122. Illi, qui volunt ante *judicium* *præmitti* aliquid *certum*, aut *præsupponi* aliquid *determi-*

*nate*, per hoc aliiquid non possunt intelligere *Rationem*, quando per *Rationem* intelliguntur *Facultates* concipiendi, judicandi, discurrendi &c. Pueriles enim essent eorum admonitiones, quemadmodum puerilis esset, qui diceret cadaveri: *cave, ne hinc discedas* antequam vivas, sive antequam *facultatem* discedendi habebas. Et si hoc *præjudicium* est reprehensibile, judicare sine *facultate* judicandi, impossibile est hominem *quemcumque* laborare *præjudicio*, quia impossibile est *quemquam* *judicare*, qui *non potest* judicare, hoc est, qui *facultatem* judicandi non habeat.

123. *Æque* ridicula esset sollicitudo, ne *judicemus* absque *ideis* *præsuppositis*. Sicut, si sollicite moneremus pictorem, ne *imaginem* pingat absque pigmentis.

124. Non minus explodi metetur ille, qui juberet nos cautos esse, ne *judicium* ferremus de *veritate*, quin utamur ad *hoc mediis quibusdam* ad detegendam *veritatem* necessariis. Sicuti vel infans rideret virum, qui se moneret, ne filum trans foramen acūs ducat sine filo, acū & foramine.

**Sectio III. Quid intelligere aliqui videantur per Præjudicium?**

**125.** A Liqui videntur Præjudicium vocare omnes illas notiones, sententias, doctrinas, principia, agnitiones omnes, quæ nobis magistrorum præceptionibus ingeneratae sunt. Atque hæc vocant *præjudicia infantie, præjudicia educationis*.

126. Horum conatus non tendunt ad eundem omnes finem. Alii enim bono animo videntur esse, & nos velle reges facere, aut saltem proceres in decantato illo *regno rationis*. Volunt nos scientiae apicem attingere. Hinc jubent Cartesio auctore, ut de omnibus rebus saltem semel in vita dubitemus: & vel maxime de iis, quæ auctoritate magistra didicimus: atque adeo jubent nos *Præjudicia infantie & educationis* ponere, si sapere velimus. Addunt tamen, id speculative tantum fieri debere: hoc est tantum intra animum *contemplantem* res, non intra animum *volentem*, multo minus in externa vita & moribus.

127. Verum si de omnibus rebus est dubitandum, cur excipiunt mores, & res appetendas? Cur non etiam de hoc dubitemus,

an sit dubitandum de rebus appetendis? Certe num dubitandum sit de appetendis, quæstio non practica est, sed speculativa. De speculativis autem omnibus est dubitandum. Dubitandum igitur etiam de hoc est, an in appetendis valeant præjudicia, an præjudicia hæc dubitatione sint tollenda?

128. Quodsi deinde dubium de hac dubitatione facienda resolvero affirmative (& quis prohibet in speculativis & scientiis, hoc est in regno rationis?) nempe dubitabo de omnibus practicis, & appetendis: atque hunc in modum horum præcepta tendunt ad id ipsum faciendum, quod prohibuerant: secum pugnant istorum doctrinæ.

129. Deinde isti reges aut proceres regni rationis, quam mirabilem nobis tradunt logicam seu artem rationalem? Rationi nostræ persuasum est, in rebus plurimis nos tenere sensum communem, experientia nobis universali certum. Firmata est in his ratio nostra. Sed hi nobis dicunt, nos in hac re ægros esse: medicinam ergo nobis adhibere volunt. Sed qualem illam? Volut firmitatem nostram curare vacillatione, sensum communem volunt emendare *dubitacione*, non quacunque, sed dubitatione de rebus.

*rebus omnia*. Scientiam promittunt rerum omnium, & incipiunt à dubitatione rerum omnium.

130. Excipient illi, dicentque: Nostra medicina non est dubitatio, sed à dubitatione incipimus tantum, ceterum in scientia finimus. Nam qui non dubitat, non inquirit rationes: dubitatio facit inquirere rationes: rationes faciunt scire, faciunt esse nos cives regni rationis.

131. Ad hoc imprimis dico: anceps hoc esse negotium, & Cartesius hujus consilii auctor documentum ipse posteritati est, quam malus fuerit medicus, aut saltem quam male ceciderit curatio. Loco *rationum* enim, quas promiserat, edidit figmenta, hoc est confictas hypotheses, turbinæ, materias detritas, & nescio quæ farmenta, scobemque pharmacopolarum. Quæsusitus, num revera natura ita habeat? Non, ait, hoc dico: sed si hoc fingo, cetera inde exponere possum, & veras scientias adornare. Infelicitas ingenii humani promisit sibi figmentis, ac somniis pro principio locatis, ædificare veritatem, hoc est, regnum rationis posse!

132. Rursus dico ad hoc: Nos, quando scientias à puero didicimus ex præceptis magistro.

rum, jam tum implevimus hoc Cartesii documentum, hanc legem dubitandi. Quippe antequam disceremus, primo quidem ignorabamus omnia infantes: tum pueri dubitabamus de omnibus, eamque ob causam de omnibus sine fine sciscitabamur ex nutribus ex præceptoribus: hac via ex dubitationibus, hoc est ex *pueritia* erupti sumus. Fecimus jam semel legi, Cartesi, tuæ fatis.

133. Non fecistis satis, inquit Cartesius. Post has etiam scientias dubitandum est de omnibus; hæ scientiæ, præjudicia sunt infantiae; deponenda hæc sunt; dubitate, dubitate.

134. Eja ergo dubitemus, & quoniam ita præceptor jubes, sequemur auctoritatem tuam, & novo nos præjudicio auctoritatis involvamus, non jam præjudicio infantili, sed præjudicio virili ac valido. Incipiemus à tuo alphabeto: *Cogito: Ergo sum*. Sed tuum secuti præceptum, incipiemos jam nunc dubitare, *an cogitemus?* dubitandum enim semel de omnibus est: in omnibus est cogitatio: dubitandum semel de cogitatione. Ut eximis hoc dubium bone præceptor? Promisisti, si inciperemus à dubitatione, præsto deinde fore medicinam rationem, ex ratione scientiam, ex scientia regnum. Ratione erga demon-